

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XIIII. De inofficioso Testamento.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

bus, *a. l. 35. ff. d. R. J.* aut judicialiter facta Revocatio valet; *j. Dec. El. 44. 2) Etiam si Princeps in eo Litis Causa* (qui etiam in Testamento perfecto ita recte non instituitur, *l. 91. ff. d. her. inst. a. h. §. VIII.*) vel Scripto solo, *l. nuda Voce*, citra legitimam Solennitatem, *Heres institutus sit*, quia *§. 8. I. h. Legibus hac in Parte cupit vivere. §. VIII. J. h. L. 23. ff. d. leg. 3. j. L. 31. ff. d. leg. (b) (c)*

TIT. XIIX.

*De inofficioso Testamento.**Ratio hujus querelæ.*

Ex Ulp. l. 1. §. 1. & Marc. l. 2. ff. hoc sit. **Q**uia plerumque parentes sine causa liberos suos exheredant vel omittunt; inductum est, ut de inofficioso testamento agere possint liberi, qui queruntur, aut inique se exheredatos, aut inique præteritos: hoc colore, quasi non sanæ mentis fuerint, cum testamentum ordinarent. Sed hoc dicitur, non quasi vere furiosus sit, sed recte quidem fecerit testamentum, non autem ex officio pietatis. Nam si vere furiosus sit, nullum testamentum est.

Qui de inofficioso agunt.

Ex Ulp. l. 1. hoc tit. **I.** Non autem *liberis* tantum permissum est, testamentum parentum inofficiosum accusare, verum etiam liberorum *parentibus*. *Soror* autem & *frater*, turpibus personis scriptis heredibus, ex sacris Constitutionibus prælati sunt. Non ergo contra omnes heredes agere possunt. Ultra fratres igitur & sorores cognati nullo modo aut agere possunt, aut agentes vincere.

(b) *Princeps Legibus solutus est. L. 31. ff. d. leg.*

(c) *Licet Princeps Legibus solutus sit, attamen Legibus sepe vivit. §. VIII. J. h. L. 23. ff. d. leg. 3.*

Qui

Qui alio jure veniunt, de inofficioso non agunt.

2. Tam autem naturales liberi, quam secundum nostræ * Constitutionis divisionem adoptati, ita de- * v. l. pen. C. de ad. lo alio jure ad defuncti bona venire possunt, si nul- C. de ad. opt. lo alio jure ad defuncti bona venire possint. Nam qui ad hereditatem totam, vel partem ejus, alio jure veniunt, de inofficioso agere non possunt. Posthumi quoque, qui nullo alio jure venire possunt, de inofficioso agere possunt.

De eo, cui testator aliquid reliquit.

3. Sed hæc ita accipienda sunt, si nihil eis penitus a testatoribus testamento relictum est, quod nostra * Constitutio ad verecundiam naturæ introduxit. * v. l. 30. C. Sin vero quantacumque pars hereditatis, vel res eis b. s. fuerit relicta, de inofficioso querela quiescentē, id quod eis deest, usque ad quartam legitimæ partis repleatur: licet non fuerit adjectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.

Si tutor, cui nihil a patre relictum, pupilli nomine legatum acceperit.

4. Si tutor nomine pupilli, cujus tutelam gerebat, Ex Mar- ex testamento patris sui legatum acceperit, cum cian. l. 30. §. i. ff. d. nihil erat ipsi tutori relictum a patre suo; nihilomi- inoff. testa- nus poterit nomine suo de inofficioso patris testa- mento agere.

Si de inofficioso nomine pupilli agens succubuerit.

5. Sed si e contrario pupilli nomine, cui nihil re- Ex Try- licitum fuerat, de inofficioso egerit, & superatus est; phon. l. 22. ff. d. b. que ipse tutor, quod sibi in testamento eodem legatum ut in l. 1. h. relitum est, non amittit. auf.

De quarta legitimæ partis.

6. Igitur quartam quis debet habere, ut de inofficioso agere non possit: sive jure hereditario, sive jure legati, vel fideicommissi, vel si mortis

Q

causa

D. v. L. 30.
C. b. 2.

causa ei quarta donata fuerit, vel inter vivos, in iis tantummodo casibus, quorum mentionem facit nostra * Constitutio: vel aliis modis, qui in nostris Constitutionibus continentur. Quod autem de quarte diximus, ita intelligendum est, ut siue unus fuerit, siue plures, quibus agere de inofficioso testamento permittitur, una quarta eis dari possit, ut ea pro rata eis distribuatur, id est, pro virili portione quarta.

I.

Inofficiosum Testamentum est, in quo Personæ, quibus *Legitima* debetur, sunt *rite*, sed *inique exclusæ*. PR. J. b. Relinquitur Querelæ inofficiosi Testamenti Locus, etiam si Præteritio Liberiorum, qui sui Hæredes non sunt, (e.g. a Matribus) facta, vel Exhæredationis Causa non sit Testamento inserta. a. N. 115. c. 3. inf. conf. P. 3. C. El. 9.

II. Testamentum inofficiosum parit *Querelam inofficiosi Testamenti*, quæ est vel *ordinaria*, & competit *exhæredato* in Testamento inofficioso, adversus *Hæredem* ad *Rescissionem* testamenti; a. l. 6. §. 1. l. 28. ff. b. vel *extraordinaria*, atque ab exhæredato in Testamento inofficioso contra Hæredem instituitur, & *tam ad Testamenti Rescissionem, quam Hereditatis* ab intestato debitæ *Avocationem*, tendit. a. l. 21. §. 2. l. 27. §. 3. ff. b. Hæc illa frequentior & utilior est.

III. Querela inofficiosi Testamenti *datur ex* §. 1. l. h. *hæredatis* 1) *Liberis*, §. 1. J. b. etiam plene ad §. 2. l. h. optatis & Posthumis; §. II. J. b. 2) *Parentibus*; 3) *Fratribus Sororibusque germanis & consanguineis*; & *Fratribus* quidem, si Hæres scriptus sit
Persona,

Persona, Infamiæ Turpitudinis vel levis Notæ Macula laborans, §. I. *J. b. Leg. 27. C. b. e. g. Spurius. a. l. 3. §. 2. ff. d. decur.* In quam Sententiam *resp. F. J. L. M. Oct. 706.* Reliquis Cognatis denegatur Querela, etiam Fratribus uterinis; *d. l. 27. quod Jure novo non est mutatum, a. d. l. j. l. 1. ff. b. atque ita resp. F. J. L. Mens. Oct. A. 706. ad conf. J. B. H.*

IV. *Cessat Querela inofficiosi Testamenti, 1) si quis ad Hæreditatem vel ejus Partem alio Remedio pervenire queat: §. II. J. b. ut per Querelam Nullitatis; a. L. 16. ff. d. min. (a) 2) Cum quid legitime relictum est, licet minus Legitimâ: Locum enim habet Actio suppletoria, §. III. J. b. §. 3. I. h. quæ est personalis, rei persecutoria, daturque Liberis & Parentibus, quibus Titulo institutionis, N. 15. c. 5. Fratribus & Sororibus, quibus (cum debetur. l. 27. C. b.) Titulo quovis Leg. 30. C. b. Legitima non tota relicta est, adversus Hæredes d. N. ad supplendum id, quod Legitimæ deest; dd. ll. 3) Agnita defuncti Voluntate; l. 12. ff. b. modo Agnitio fuerit proprio Nomine facta. §. IV. J. b. j. Leg. 7. ff. testam. §. 4. I. h. quemadm. aper. (b) L. 19. ff. d. R. C. (c) Tutor, qui Testamenti Merita suo Nomine impugna-*

(a) *Remedium Extraordinarium locum non habet, nisi deficiat Ordinarium. a. L. 16. ff. d. minor.*

(b) *Iniquum est, damnosum esse cuiquam Officium suum. L. 7. ff. testam. quemadm. aper.*

(c) *Actus ultra Intentionem Agentium nihil operatur. a. L. 19. ff. d. reb. cred.*

Q 3

vit,



vit, (e. g. per Querelam) & in ista Lite usque ad Sententiam improbe perseveraverit, Legatum §. 5. I. h. in Testamento relictum perdit. §. V. *J. b. l. 8 §. 14. ff. b. j. C. 38. d. R. J. 6. (d)* 4) Quoties salva est iis, quibus debetur, *Legitima. l. 32. C. d. inoff. test.*

V. Est autem *Legitima Portio Facultatum defuncti certis Personis debita ad excluden-*
 §. 6. I. h. *dam inofficiosi Testamenti Querelam §. VI. J. b. Ea debetur Liberis & Parentibus Titulo Institutionis, N. 115. c. 3. Fratribus & Sororibus Titulo quocunque, e. g. Legati, Fideicommissi, Donationis Mortis Causa, vel inter Vivos. §. VI. J. b. l. 30. C. b.*

VI. *Legitima continet Quantitatem certam, (olim citra Distinctionem Quartam, h. §.) ubi quoties debetur 5. vel pluribus, est Semis, cum 4. vel paucioribus, tertia Pars Substantiæ: N. 18. c. 1. (e) Nihil tamen prohibet istam Legitimæ Quantitatem speciali Jure minui, cum ea, quatenus necessaria Alimenta complectitur, saltem debeat ex Jure Naturæ. fac. N. 18. c. 3. Const. El. Nov. 2. j. P. 3. C. El. 12.*

VII. *Legitimæ Divisio fit in Capita; §. VI. J. b. nisi concurrant proximiores cum remotioribus, e. g. Filii cum Nepotibus. a. l. 8. §. 8. ff. b. j. N. 118. c. 1.*

(d) *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisius est impugnare. C. 38. d. R. J. 6.*

(e) *Quatuor aut infra dant natis Jura Trientem, Semissem vero dant natis quinque vel ultra. Arbitrium sequitur substantia cætera Patris. N. 18. c. 1.*

TIT.

TIT. XIX.

De Heredum Qualitate & Differentia.

Divisio Heredum.

HEREDES autem aut *necessarii* dicuntur, aut *sui* & *necessarii*, aut *extranei*.

De heredibus necessariis.

1. *Necessarius* heres est servus heres institutus. Ideoque sic appellatur, quia *sive velit, sive nolit*, omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius heres fit. Unde qui facultates suas suspectas habent, solent servum suum primo, aut secundo, aut etiam ulteriore gradu heredem instituire: ut, si creditoribus satis non fiat, potius ejus heredis bona, quam ipsius testatoris, a creditoribus possideantur, vel distrahantur, vel inter eos dividantur. Pro hoc tamen incommodo illud ei commodum præstatur, ut ea, quæ post mortem patroni sui sibi acquisierit, ipsi reserventur. Et quamvis bona defuncti non sufficiant creditoribus: iterum tamen ex ea causa res ejus, quas sibi acquisierit, non veneunt.

De suis heredibus.

2. *Sui autem* & *necessarii* heredes sunt, veluti filius, filia, nepos, neptisve ex filio, & deinceps ceteri liberi, qui in potestate morientis modo fuerint. Sed ut nepos neptisve sui heredes sint, non sufficit, eum eamve in potestate avi, mortis tempore fuisse; sed opus est, ut pater ejus, vivo patre suo, desierit suus heres esse, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus a patris potestate: tunc enim nepos neptisve in locum patris sui succedit. Sed sui quidem heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & vivo quoque patre

Q 3

quo-